



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 3. An licet cum Infidelibus communicare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Prædicationem, & propagationem Fidei: quia habet jus, & potestatem Prædicandi fidem per totum orbem, Marc. 16. *Prædicare Evangelium omni Creatura.* Sed qui habet jus ad aliquid faciendum, habet potestatem non solum illud exequendi, sed etiam compellendi per se, vel per alios, ut non impediatur juris executio.

Q. 3. *An liceat cum Infidelibus communicare?*

*Resp.* Non licet in eorum ritibus, Sacrificiis, orationibus, cultu superstitioso: quia talis communicatio est exterior quædam Professio, & approbatio falsæ Religionis, ac proinde virtualis negatio veræ. At in civilibus, secluso periculo perversiois, & scandali licet ex 1. Cor. 10. *Siquis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate.*

Jure tamen Canonico vetitum est omnibus Christianis, ne cum Judæis habitent, comedant in Balneis laventur, ipsis famulentur, & ab eis Medicinam accipiant, Item ne Officia publica iis committantur, *Tit. de Judæis.* Quod sancitum est tum ad tuendam Dignitatem Christianæ Religionis, tum ad vitandum perversiois periculum per familiaritatem cum Judæis, qui præ cæteris infidelibus Religioni Christianæ



næ adversantur, & Christum blasphemare solent.

Q. 4. *An licita est disputatio de rebus Fidei cum Hæreticis?*

*Resp. I.* Prohibita est omnibus Laicis cap. 2. de Hæret. in 6. *Inhibemus, ne cuiquam Laica personæ liceat publicè vel privatim de fide Catholica disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Circa quod

*Not. 1.* Ibi comprehenduntur etiam Laici docti, nam nullus excipitur. 2. Hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, si Laicus sit Doctus, ut si quis Hæreticus Fideles perverteret, nec adessent Clerici Docti, qui fidem tuerentur. Imò tunc lege divina teneretur, ut salutem proximi consuleret, & fidem despectam defenderet. Hoc multi extendunt ad casum magnæ utilitatis evidentis, quam lex impedire non intendit. 3. Dicunt hanc prohibitionem in locis, ubi Hæretici grassantur, per contrariam consuetudinem esse abrogatam, scientibus, & non contradicentibus Prælatibus.

*Resp. II.* Jure naturali prohibita est cuilibet indocto etsi Clerico: quia cum non possint fidem rectè tueri, nec objectiones solidè diluere, hæc disputatio Hæreticos in errore confirmaret, & Catholicis dubita-

tio.